

1575. Missa absoluta, ipse Celebrans intonat Hymnum
Te Deum, quem Fratres prosequantur. Deinde dicit:

☩. *Benedicamus Patrem, et Filium cum sancto Spiritu:*

R). *Laudemus, et superexaltemus eum in saecula.*

OREMUS.

Deus, cuius misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimae Maiestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas: Per Christum Dominum nostrum.

R). *Amen.*

1576. Oratione finita, omnes ad Sacristiam se conferunt. Postea Fratres Iubilatio congratulantur de Iubilatio celebrato.

CAPUT III.

DE RITU SEU MODO RECIPIENDI PRAELATOS
IN ECCLESIIS ET DOMIBUS NOSTRIS.

§ I. — *De receptione Praelati, seu Legati*¹.

1577. Altare SS^mi Sacramenti paramentis coloris tempori congruentis decenter ornabitur, ac super illud sex accendentur cerei. Praeparabitur item coram illo

¹ Ex Pontificali Romano. Sed hoc intelligendum de primo ingressu Praelati aut Legati Apostolici in locum suae iurisdictionis, aut quando venit ut Visitator Apostolicus.

faldistorium vel genuflexorium cum suo tapeti et pulvinis. Ad ingressum pulsetur campana pleno tractu.

1578. Cum Praelatus, vel Legatus Ecclesiam est ingressurus, processio Fratrum cum Cruce procedit illi obviam extra fores Ecclesiae, et cum Legatus sive Praelatus advenerit, Superior superpelliceo sed sine Stola indutus, offert venienti Crucem osculandam, quam Legatus super tapete stratum genuflexus devote osculatur.

1579. Tunc si intrans est episcopali caractere insignitus, aut Presbyter Cardinalis, Cantores incipiunt et consequuntur Antiphonam:

Sacerdos et Pontifex, et virtutum opifex, pastor bone in populo, sic placuisti Domino.

Vel dicunt Responsorium:

*Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo: * Ideo iureiurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam. ☩. Benedictionem omnium gentium dedit illi, et testamentum suum confirmavit super caput eius. * Ideo. Gloria Patri. * Ideo.*

1580. Si vero Legatus recipiendus non sit Sacerdos, licet Diaconus Cardinalis, cantatur Responsorium:

*Fidelis namque et prudens dispensator in magni Patrisfamilias domo constitutus erat: * Ut conservis suis mensuram erogaret. ☩. Pro salute et augmento gregis sibi commissi cura pervigili sollicitus erat. * Ut conservis.*

1581. Si autem duo vel plures reciperentur Legati, etiam si non essent Episcopi vel Presbyteri Cardinales, cantatur Antiphona:

Vos estis cives Sanctorum, et domestici Dei, superaedificati supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum.

1582. Incoepa Antiphona, processio ordine suo progreditur. Cum Praelatus seu Legatus Ecclesiae portam intraverit, Superior offert illi aspersionem cum aqua benedicta, praevio annuli osculo, quod Praelatus seu Legatus accipiens aspergit primo se ipsum, deinde alios. Aspersione facta, omnes surgunt, Superior et Ministri thus benedicendum et thuribulo iniiciendum offerunt: quo facto, Superior Praelatum triplici ductu thurificat debitis reverentiis ante et post.

1583. Tunc, praecedente Cruce, omnes accedunt ad Sanctuarium, Superiore immediate ante Praelatum incedente, et ibi super faldistorio seu genuflexorio ante infimum gradum Altaris parato Praelatus seu Legatus procumbit et orat, caeteris in plano genuflexis et orantibus.

1584. Interim Superior stans in cornu Epistolae Altaris, versus ad orantem dicit:

- P̄. *Protector noster aspice Deus:*
 R̄. *Et respice in faciem Christi tui.*
 P̄. *Salvum fac servum tuum:*
 R̄. *Deus meus, sperantem in te.*
 P̄. *Mitte ei, Domine, auxilium de Sancto:*
 R̄. *Et de Sion tuere eum.*
 P̄. *Nihil proficiat inimicus in eo:*
 R̄. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*
 P̄. *Domine, exaudi orationem meam:*
 R̄. *Et clamor meus ad te veniat.*
 P̄. *Dominus vobiscum:*
 R̄. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Omnipotens, sempiternus Deus, qui facis mirabilia magna solus, praetende super hunc famulum tuum, et cunctas congregationes illi commissas, Spiritum gratiae salutaris: et ut in veritate tibi complacere, perpetuum ei rorem tuae benedictionis infunde. Per Christum Dominum nostrum.

R̄. *Amen.*

Si Praelatus est Diaconus Cardinalis, omittitur Versiculus *Protector noster*; nec ipse ponit incensum in thuribulo, sed Superior illi porrigit aspersionem ut aqua benedicta se signet, et incensum ponit.

1585. His dictis, cantatur Antiphona cum Versiculo de Patrono Ecclesiae. Et cum dicitur Versiculus, Praelatus vel Legatus surgit, ascendit ad Altare, osculaturque illud in medio, denique procedit ad cornu Epistolae, ubi stans et ad ipsum Altare versus cantat Orationem de dicto Sancto; deinde ad medium Altaris revertitur, ubi stans dat benedictionem solemnem populo, dicens: *Sit nomen Domini benedictum* etc. Qua data, promulgari facit per unum ex suis Indulgentias, quas ipse interessentibus concedit.

1586. Post haec Chorum ingrediuntur, Superior et Ministri s. indumenta deponunt, Praelatumque usque ad diversorium associant.

1587. Si vero aliqua ex dictis personis non prima vice et tamquam ad locum iurisdictionis, licet in publica forma, ad Ecclesiam convenerit, tunc Superior localis cum aliquibus ex Patribus et Clericis, ingredienti aquam benedictam exhibebit, porrigendo aquam cum aspersione

ad Ecclesiae ianuam. Deinceps comitabitur illum ad genuflexorium, ac denuo ad Ecclesiae portam, praetermisso campanae pulsu.

§ II. — *De receptione et visitatione*
P. Ministri Generalis.

1588. Quam primum ac Minister Provincialis ex Litteris P. Generalis didicerit, eum suae Provinciae ius et officium visitationis proxime impendere velle, tempestive Definitorium ac Provinciam suam certiores reddat, et cum aliquo ex Definitoribus, si P. Generalis id non recusaverit, opportuno tempore ad proximum contiguae Provinciae conventum illi obviam se conferat; eundemque de statu suae Provinciae certiores reddat, causas iudicandas, si quae sint, aperiat, et familiarum catalogum praebeat; denique ad suam Provinciam accedentem comitetur.

1589. Ministro Generali Provinciam ingresso, Provincialis ab omni externae iurisdictionis usu absteat; nisi secus illi a Generali Ministro iniunctum fuerit. Ea tamen, quae ad spirituale forum spectant, veluti a casibus reservatis absolvere, Confessorem sibi eligere, et si quae alia huiusmodi sunt, quae ad Provincialis Ministri munus intrinsece ex Regula pertineant, quibus Maioris visitatio minime impeditur, illi integra erunt.

1590. Generali autem Ministro ad aliquod Provinciae monasterium visitationis gratia accedente, curet Superior, ut Ecclesia et Altaria sint festive ornata. In suppedaneo Altaris maioris sedes ponitur in latere Evangelii, et ante Altare paratur genuflexorium.

1591. Ante Praelati adventum, Religiosi processionaliter e Sacristia seu Choro aliquantulum extra fores Ecclesiae se conferunt. Praecedit Crux absque luminaribus, sequuntur Religiosi bini, ac tandem Superior medius inter duos Ministros, superpelliceo absque Stola indutus. Unus Ministrorum similiter cottis indutorum vas aquae benedictae cum aspergillo defert, alter vero Stolum coloris Officio diei congruentis.

1592. Subsistente processione extra fores Ecclesiae, Superior loci duos vel tres ex dignioribus familiae Patribus secum assumens, paulo longius procedat, donec ad ipsum perveniat; quem reverenter recipientes, usque ad processionis locum a dextris et a sinistris pedestrem comitabuntur: quo cum pervenerint, Crucem ipsi deosculandam offerant. Statim vero Superior domus paratam Stolum ipsi offerens deosculandam, collo eius ex utraque parte pendentem imponet, tumque a Cantoribus inchoabitur: *Te Deum laudamus*, etc.

1593. Accedente processione ad Ecclesiam, campana pulsabitur. Crucifer, ubi ad cancellos processerit, ibi sistet. Cum vero Generalis Minister ad Ecclesiae limen pervenerit, Superior genuflexus aspersorium cum osculo aspersorii et manus eidem porriget, qui per medium incedens Fratres asperget, donec ad infimum Altaris maioris gradum pervenerit, ubi genuflectet.

1594. Expleto Hymno *Te Deum* etc., duo Acolythi dicant sequentes Versiculos:

Ÿ. *Benedicamus Patrem, et Filium cum sancto Spiritu.*

R). *Laudemus, et superexaltemus eum in saecula.*

Ÿ. *Panem de coelo praestitisti eis:*

R). *Omne delectamentum in se habentem.*

Ÿ. *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur:*

R). *Et renovabis faciem terrae.*

Ÿ. *Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix:*

R). *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

Ÿ. *Signasti, Domine, servum tuum Franciscum:*

R). *Signis redemptionis nostrae.*

1595. Generalis vero Minister stans Orationes, quae sequuntur, graviter et morose proferet:

OREMUS.

Deus, cuius misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus: piissimae Maiestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes; ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad praemia futura disponas.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti: tribue, quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut Redemptionis tuae fructum in nobis iugiter sentiamus.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de eius semper consolatione gaudere.

Concede nos famulos tuos, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosa beatae Mariae semper Virginis intercessione, a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati P. N. Francisci meritis foetu novae prolis amplificas: tribue nobis, ex eius imitatione terrena despiceret, et coelestium donorum semper participatione gaudere.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adiuvando proseguere; ut cuncta nostra oratio, et operatio atque visitatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

1596. Tunc vero cum omnibus aliquantisper orabit. Post Orationem Minister surgit, Altare ascendit illudque in medio osculatur, ibique Fratribus benedictionem impertit dicens ut in fine Missae:

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Amen.

1597. Deinde in sede parata sedet, et Fratres omnes per ordinem, incipiendo a Provinciali, si adsit, vel Superiore conventus, bini accedunt et genuflexi manum ipsius osculantur.

1598. His expletis surgit, de Altari descendit, Stulam exuit et una cum sociis ac familia religiosa conventum ingreditur, ubi cellae iuxta nostri status simplicitatem munda ac nitida paratae sint. Superior vero, ubi alia charitatis officia erga Generalem Ministrum expleverit, eundem ad cellam usque reverenter perducatur, prospiciatque, ut eorum, quae ad charitatis officium spectant, tam erga Generalem Ministrum, quam illius socios, nihil prorsus omittatur.

1599. Ante visitationem, Visitor Fratres omnes cuiusque conventus in refectorium convocat, ad eosque sermonem facit, quo eos graviter, paterne ac pie hortatur, ut sincere, fideliter et charitatis zelo aperire velint in s. visitatione, quae pro Dei gloria, proque animarum salute ac Ordinis augmento, admonitione, correctione, reformatione, pro sua quisque conscientia, in Domino cognoverint indigere.

1600. S. visitationem Minister ordinario incipit cum Missa solemnī, visitatione SS. Sacramenti, S. Olei, et SS. Reliquiarum, ac Absolutione Defunctorum.

1601. Potest tamen Minister, si velit et tempus et circumstantiae id permittant (et esset Pontificali Romano plus conforme), Absolutionem peragere, SS. Sacramentum, Oleum S., et Reliquias sacras visitare in primo adventu suo: quo casu, post osculum manus Fratrum de Altari descendit, in latere Epistolae superpelliceum et Stolum et Pluviale, si adsit, coloris nigri assumit, ad medium Altaris in plano redit, ac caetera ut n. 1097 et seq. perficit. His peractis, depositis Stola et Pluviali nigris, et assumptis albis, visitat SS. Eucharistiam ut n. 1092, deinde sancta Olea et sacras Reliquias.

1602. Notandum, quod pro visitatione S. Olei violacea, et pro visitatione SS. Reliquiarum rubra Stola Visitator utatur, si extra Missam illa visitet; alias utatur Stola Missae diei congruenti.

1603. Hora convenienti, Minister Generalis visitet Altaria, Capellas, confessionalia, piscinam, Sacristiam, vasa sacra, paramenta, linteamina, caeteramque suppellectilem Ecclesiae et Sacristiae. Deinde officinas publicas, valetudinarium, bibliothecam, cellas Fratrum, portam, cellam Ostiarii, locutorium si adsit, hortum, clausuram, etc. etc. Inspicit magna cum diligentia libros Missarum, introitum et exitum eleemosynarum, et archivium conventus.

1604. Fratres singillatim a Visitatore advocentur, audiantur et interrogentur de cultu divino, de observantia vitae communis, S. Regulae et Constitutionum, de silentio, fraterna charitate, studio, labore, de edu-

catione iuvenum, si adsint, de Superiorum gubernio, subditorum reverentia et obedientia Superioribus debita, de fidelitate Officialium, aliisque multis, prout zelus et prudentia ipsi suggerunt.

1605. Visitatione peracta, Fratres iterum ad refectorium hora determinata vocantur, ubi Visitator sermonem pro circumstantia ad ipsos dirigit, exhortando eos ad regularem observantiam et disciplinam etc. Quae corrigenda sunt, corrigit; et quae praecienda et ordinanda, praecipit et ordinat; relinquens etiam in scripto ordinationes speciales, si quae pro rerum et personarum circumstantiis sint necessariae.

1606. Si quis Fratrum specialem meretur correctionem et punitionem pro publicis defectibus aut delictis etc., illum publice sed cum paterna charitate corrigat et castiget, et ad meliora vestigia sequenda inducat et adhortetur; si nihil speciale in publico corripiendum sit, audita culpa, omnibus salutarem poenitentiam pro commissis negligentis et transgressionibus Statutorum etc. iniungat, ac denique absolutionem generalem impertiatur.

ABSOLUTIO GENERALIS ¹.

ANTIPHONA. *Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris.*

¹ Haec Absolutio generalis Fratribus nostris dari potest in festis Nativitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschae, Ascensionis, Pentecostes, SS. Trinitatis, SS. Corporis Christi, et singulis diebus Heb-

Kyrie, eleison.

Christe, eleison.

Kyrie, eleison.

Pater noster, secreto.

Ÿ. *Et ne nos inducas in tentationem.*

R. *Sed libera nos a malo.*

Ÿ. *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.*

R. *Et salutare tuum da nobis.*

Ÿ. *Domine, exaudi orationem meam.*

R. *Et clamor meus ad te veniat.*

Ÿ. *Dominus vobiscum.*

R. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram; ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice; et flagella

domadae sanctae; in festis Immaculatae Conceptionis, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Praesentationis B. M. V.; item in festo S. P. N. Francisci, Omnium Sanctorum, ac S. Catharinae V. M., necnon in fine Visitationis canonicae.

tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte. Per Christum Dominum nostrum.

R. *Amen.*

1607. Completis precibus, ab uno ex adstantibus dicitur *Confiteor*. Deinde Visitator dicit:

Misereatur vestri etc. Indulgentiam, absolutionem etc.

Postea subiungit:

Dominus Noster Iesus Christus per merita suae sacratissimae Passionis vos absolvat, et gratiam suam vobis infundat. Et ego, auctoritate ipsius, et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli et Summorum Pontificum Ordini nostro ac vobis concessa, et mihi in hac parte commissa, absolvo vos ab omni vinculo excommunicationis, maioris vel minoris, suspensionis et interdicti, si quod forte incurristis, et restituo vos unioni et participationi fidelium, nec non sacrosanctis Ecclesiae Sacramentis. Item eadem auctoritate absolvo vos ab omni transgressione votorum et Regulae, Constitutionum, ordinationum et admonitionum Maiorum nostrorum, ab omnibus poenitentis oblitis, seu etiam neglectis, concedens vobis remissionem omnium peccatorum, quibus contra Deum et proximum fragilitate humana, ignorantia, vel malitia deliquistis, ac de quibus iam confessi estis.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

R. *Amen.*

1608. Omnibus peractis, cum Visitator a conventu discedit, Fratres in refectorio conveniunt, benedictionem cum aspergillo a Ministro Generali accipiunt, et postquam omnes ipsius manum devote osculati fuerint, si commode fieri poterit, accedunt ad Ecclesiam, et stans P. Generalis ante Altare in cornu Epistolae versus illud,

dicit Psalmum *De profundis*, deinde Antiphonam *Si iniquitates, Kyrie etc., Pater noster, Et ne nos etc.*

Ÿ. *A porta inferi:*

R. *Erue, Domine, animas eorum.*

Ÿ. *Requiescant in pace:*

R. *Amen.*

Ÿ. *Domine, exaudi orationem meam:*

R. *Et clamor meus ad te veniat.*

Ÿ. *Dominus vobiscum:*

R. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, cuius miseratione animae fidelium requiescunt, famulis et famulabus tuis omnibus hic et ubique in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum: ut a cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine laetentur. Per Christum Dominum nostrum.

R. *Amen.*

1609. Comitatus tunc a Religiosis usque ad portam Ecclesiae, Minister Generalis omnibus valedicit et discedit.

§ III. — *De receptione ac visitatione aliorum Superiorum Ordinis.*

1610. Commissarius Visitator, a Ministro Generali pro visitatione alicuius Provinciae nominatus, tempore debito Provinciali nominationem suam in Commissarium, diem ac horam sui adventus in Provinciam, respective primum Provinciae conventum indicat; Provincialis vero advenientem Visitatorem personaliter, vel si legitime

impeditus, per nuntium salutatur, ei Provinciae sigillum tradit, et opportunas informationes exhibet.

1611. Adventantem Fratres non processionaliter et cum pulsu campanae excipiant, ut Ministrum Generalem; sed Superior loci duobus vel tribus ex dignioribus comitatus ei per milliarem circa occurrat, in ingressu Ecclesiae Stolum et aspersionem porrigat; ipseque et Fratres, qui ad Ecclesiae portam Visitatorem expectant, aspergantur. Postea ipse Commissarius in genuflexorio tapeti cooperto ante Altare maius genuflexus, caeterisque genuflexis in gyro, paulisper orat; deinde conventum ingreditur, ubi omnes genuflexi reverenter eius manum osculantur.

1612. Provincialis Minister (aut ipsius Commissarius) iuxta antiquum morem nostrum, cum ad visitandum conventum venit, a P. Guardiano alteroque Patre digniori domus, unius milliarii distantia a conventu excipitur: domum ingredientem in ipso vestibulo universi Fratres genuflexi excipiant. Guardianus inclinatus cum oculis aspersionem eidem porrigat, cunctique ab eo aspergantur atque ipsius manus osculentur. Post haec, universa charitatis et hospitalitatis officia ipsi, prout Ministro Generali aut ipsius Commissario, praestentur.

1613. In visitatione conventuum Provinciae a Ministro Provinciali, respective Commissario Generali vel Provinciali, omnia peragantur ut num. 1600 et seq. dictum est, etiam quae spectant ad visitationem SS. Sacramenti et Absolutionem Defunctorum. Vide num. 1092 et seq.